Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1025

Quelle:
Copyright:

tio pro *initio. a ſtudio* pro *ſtudio. metu id eſt partibus Reip.* pro *metu partibus Reip.* quarum lectionum quaedam admodum ſunt probabiles.

VII. *fol.* 78. p. 2. ab eadem manu Ejusdem *Bellum Jugurthinum* ſequitur, cujus pariter Prooemium cum Edit. *ſupracit.* contentum in ſequentibus ab ea variat: *praeſtabilius invenies* pro *invenias. potens pollensque* pro *pollens potensque. per ſocordiam* pro *ſecordiam. ſuam quique culpam actores* pro *ſuam quippe culpam auctores. multaque etiam periculoſa* pro *multumque. uti pro mortalibus*, quod non fuit in Codd. *Havercamp.* pro *ubi pro mortalibus.* iterum *ſocordia torpeſcere* pro *ſecordia. per fraudem is* (honos) *erat* pro *jus fuit. delicta eorum* (a ſec. manu) *corrigas* pro *delicta corrigas. libertatem gratificari* pro *libertatem ſuam gratificari ex aliis negotiis* pro *iis negotiis. gloriam majorum adaequaverit* pro *gloriam adaequaverit. piget pudetque* non obſervatum *Havercampio* et quod longe frequentius a Scriptoribus conjungi ſolet, pro *piget taedetque.* Haec indicaſſe pro inſtituto meo ſufficiat *Codicum mſſ. Salluſtii* curioſis. Ad calcem viſenda adumbratio ſphaerica Mappae geographicae trium Orbis Partium, *Aſia* occupante Hemiſphaerium ſuperius, inferiore ad perpendiculum in *Europam*, *Africam*que ſecto, utroque Provinciarum nominibus, Urbium, que figuris conſperſo, ad Sec. XIII. pertinens, cui manus Sec. XIV. inſcripſit:

Al diu welt mit grunne ſtet. der darundir muozic get
Muge wol uerwerden (perire) *ſin ere muoz erſterben.*

CCCCXXXVIII.

U. 26 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 280. f. per duas columnas currente calamo exaratus et rubricis diſtinctus, ſed aevo, ſituque male habitus Varia continet, quae ordine exponam. I. *Petri Bleſenſis Galli* e Canonico *Biturienſi* Archidiaconi *Bathonienſis*, tum *Londin.* et Cancellarii *Cantuar.*, Regiique Procancellarii a. 1200. vivis exemti *Epiſtolas* numero CXXX. quae omnes ex illis CLXXXIII. ſunt, quae in edit. *Pariſ.* 1667. f. leguntur, atque etiam ordine aliquatenus cum his procedunt. Solius *Epiſtolae ad Vilhelmum Electum S. Mariae*, quae in editis eſt 134. in Codice vero 67. *fol.* 54. aliud initium habet Codex, quod hic adſcribo: *Cum bo. me. abbas pbs nomine tributum mortis exſoluerit. teſtimonio enim prophete fedus cum morte percuſſimus omnes qui in nobis reſponſum mortis habemus. Electus es pater cariſſime a tuis fratribus in abbatem. Sic namque a diebus antiquis eccleſie pro patribus nati ſunt filij, et iuxta verbum Dominus ſuſcitat de filijs prophetarum et iuvenibus nazareos. Sic ueteribus amicis euaneſcentibus noue pro-*